



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Theologia Scholastica**

**Mayr, Anton**

**MDCCXXXII**

Art. II. Solvuntur Objectiones.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84303](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84303)

nari ad existimandum, illud principium etiam ad istas extendi.

665. Hanc adhæsiōem firmissimam fidei ad objecta revelata, super omnem adhæsiōem ad lumen naturale, passim adstruunt, & exigunt SS. Patres. S. Basilii in *psal. 115*. ait: *Fides supra rationales methodos animam ad assensum trahens*. S. Chrysostomus homil. 21. in c. 11. ad Hebr. *sub finem explicans illud: Est autem fides... argumentum non apparentium*: ait: *Neque rursus, si de iis, quæ non cadunt sub aspectum, non apertius fuerit quispiam persuasus, quàm de iis, quæ videntur, potest esse fides*. Richardus a S. Victore l. 1. de Trinit. c. 2. *Quotquot veraciter fideles sumus, nihil certiùs, nihil constantius tenemus, quàm, quod fide apprehendimus*. Huc etiam videtur respexisse S. Petrus ep. 2. c. 1. v. 19. dicens: *Habemus firmiorem propheticum sermonem &c.*

## ARTICULUS II.

### Solvuntur Objectiones.

666. **O**B. 1. contra 1. conclusionem. Judæi, qui ante Christi nativitatem crediderunt, eam venturum, potuerunt etiam post ejus nativitatem, quando istam nondum sciverunt, eundem adhuc credere venturum, & nondum præsentem: ergo actus fidei potuit esse falsus. Confir. Actus fidei circa præsentiam Christi in hostia consecrata potest esse falsus; quia potest hostia non fuisse consecrata: ergo. Resp. neg. ant. nam Judæi, etiam ante adventum Christi, credebant eum venturum tempore à prophetis prædicto: nec licebat ipsis aliquod tempus designare, in quod ferretur actus fidei, nisi quod clarè significabatur per revelationem, seu prophetiam; unde quando post Christi nativitatem Judæi affirmarunt, tempus illud nondum transiisse, id faciebant, non ex fide, aut revelatione Divina vera, sed ex conjectura humana falsa.

Si tamen velles urgere, quòd saltem, dum loquebantur prophætæ, poterant Judæi fide Divina credere, tempus præteritum, vel etiam tunc præsens, nondum esse coexistens nativitati Christi. Resp. hoc semper etiam postea verum mansisse: & semper posse adhuc credi; nam semper verum est, & erit, eo tempore, quo prophetabat, e. g. Isaias, Christum nondum natum fuisse: si autem, vel per possibile, vel impossibile, redderetur aliquod objectum materiale fidei non ampliùs existens, actus fidei, non posset, illud deinceps affirmare existens pro alio tempore, ut sufficienter probant nostræ rationes. Ad confirm. neg. suppositum ant. Non potest elici, ordinariè scilicet, actus fidei de præsentia Christi in particulari hostia: si autem eliceretur, non posset ea hostia non esse consecrata. vide n. 508.

667. Ob. 2. Virtutes morales possunt

amplecti honestatem tantum apparentem: ergo etiam actus fidei potest affirmare verum tantum apparens, adeoque esse falsus. ant. prob. virtuosè quis largitur eleemosynam ficto pauperi: ergo. Confir. Prudentia, quæ est virtus intellectualis, potest dictare, tali ficto pauperi dandam esse eleemosynam: ergo etiam virtutes intellectuales possunt tendere in falsum, adeoque etiam fides. Resp. 1. neg. ant. ad prob. conc. ant. neg. conf. Aliud est fictus pauper, aliud est ficta honestas; licet enim in tali casu paupertas sit ficta, honestas tamen est vera; nam revera honestum est, dare eleemosynam illi, qui apparet esse pauper; si enim homines deberent semper esse revera certi de paupertate aliorum, sæpissimè retraherentur ab eleemosyna danda.

Aliud est, quòd fortè aliquando motivum formale quo talis virtutis possit esse tantum apparens, e. g. respectu misericordiæ paupertas ficta: vel respectu justitiæ debitum tantum apparens, quod tamen movet ad solutionem. At, cum hoc virtus non amplectatur, sed tantum præsupponat, nihil inde sequitur absurdum. Sunt tamen Theologi, qui dicunt, objectum etiam formale quo virtutum moralium, esse semper bonum verum, & non tantum apparens: quanquam istud, hic & nunc, e. g. in casu ficti pauperis, non per actum directum, sed quasi per reflexum, attingatur, ita, ut dans eleemosynam pauperi ficto, moveatur à vera paupertate, & solvens debitum creditori, tantum apparenter tali, moveatur à vero jure: qua de re videatur Gormaz de virt. Theol. n. 815. Mihi non videtur, opus esse isto responso; puto enim, esse verissimam honestatem in eo actu, quo quis vult dare, aut dat eleemosynam pauperi; ficto quidem, sed prudenter judicato tali: & idem dico de solutione debiti, facta creditori tantum apparenter tali: qua ratione saltem objectum formale quod virtutum moralium est semper bonum verum, quod sufficit, quidquid sit de objecto formali quo.

668. Resp. 2. om. ant. neg. conf. nam, etiam si virtus moralis amplecteretur honestatem tantum apparentem, non ideo posset fides amplecti revelationem tantum apparentem; nam, licet non desint Theologi, qui dicant, objectum virtutum moralium non necessariò esse bonum in se, sed tantum bonum prudenter tale existimatum: non tamen potest inde inferri, quòd etiam virtutum intellectualium, inter quas est fides, objectum, sit tantum verum prudenter existimatum; alias enim virtutes intellectuales non differrent ab habitibus opinativis; unde objectum virtutum intellectualium est verum reipsa tale: & vel Logici jam cum Aristotele dicunt, virtutem intellectualem esse eam, per quam anima semper verum dicit.

Resp. 3. iterum om. ant. neg. conf. nam, etsi honestas illa creata, quam virtutes morales habent pro objecto formali quod, esset tantum apparens, & reipsa falsa,

sa, tamen objectum formale quod virtutum Theologicarum non potest esse tantum apparenter Divinum, sed debet esse revera tale; ait enim S. Thomas 1. 2. q. 68. a. 8. in corp. *Virtutes quidem Theologicae sunt, quibus mens humana DEO conjungitur*: utique autem mens humana conjungitur DEO vero, & non tantum apparenter tali; alias admitti debent absurda, n. 658. allata; unde ex mente Angelici non possunt virtutes Theologicae (inter quas etiam est fides) ferri in aliquid, quod tantum est apparenter, & non reipsa Divinum: quod autem est reipsa Divinum, est necessario verum: ergo.

Addunt hic aliqui, etiam habitum pietatis affectionis (qui, licet entitative sit moralis, terminative tamen est Theologicus) non posse elicere suum actum, nisi detur revelatio Divina vere talis. Saltem hoc est certum, quod, nisi detur vere revelatio Divina, non possit pia affectio elicere imperium effective efficacius (non enim potest sequi tunc effectus, seu actus fidei) quidquid sit de imperio affective efficaci. Ad confir. neg. conf. Prudentia non dicit, hunc esse pauperem, quod esset falsum: sed tantum dicit, huic, qui apparet pauper, in his ipsis circumstantiis paupertatis apparenter existentis, rationabiliter dandam esse eleemosynam, quod est omnino verum.

669. Ob. 3. contra 3. conclusionem. S. Thomas 2. 2. q. 4. a. 8. in corp. ait, scientiam esse certiore quoad nos, seu ex parte subjecti, quam sit fides: ergo fides tantum est certior ratione pietatis affectionis. Confir. Idem Angelicus q. 14. de veritate a. 1. in corp. ait: *Intellectus credentis est captivatus; quia tenetur terminis alienis, & non propriis* . . . . inde etiam est, quod in credente possit insurgere motus de contrario huius, quod firmissime tenet, quamvis non intelligenter, vel scienter: ergo, cum scientia excludat motum de contrario, seu motum dubitationis, est certior. Resp. neg. conf. S. Doctor expresse ibi dicit, fidem simpliciter esse certiore, ratione causae, seu motivi, scilicet revelationis: per certitudinem autem quoad nos, vel ex parte subjecti, intelligit tantum proportionem objecti cum subjecto; nam ait, id etiam dici certius, quod plenius consequitur intellectus, hoc est, quod magis est aptum capui intellectus: qua in acceptione certitudinis hic non loquimur; utique enim admittimus, mysteria fidei magis esse supra captum nostrum, quam objecta scientiae naturalis.

Ad confir. neg. conf. Ex eo, quod antecedenter, & consequenter ad actum fidei, possibiles sint motus dubitationis, vel etiam impossibiles cum ipso actu aliqui motus phantasiae, aut potentiae apprehensivae, quasi dubitationis, circa objecta fidei, sequitur tantum, actum fidei esse magis obscurum: adeoque ad hunc non rapti intellectum evidentiā terminorum, quae est terminus proprius intellectus: sed moveri imperio vo-

luntatis, quod imperium est terminus alienus, seu proveniens ab alia potentia, quae intellectum in captivitatem redigit. Quod autem intellectus possit firmitus adherere obscuris, quam claris, id habet supernaturaliter ex viribus gratiae, & ex altiori, ac digniori motivo; unde S. Thomas in 3. diff. 23. q. 2. art. 2. *quasiuncula 3. in corp. ait de objecto fidei: Est veritas prima, sive DEUS, cui creditur, qua habet majorem firmitatem, quam lumen intellectus humani, in quo conspiciuntur principia, vel ratio humana, secundum quam conclusiones in principia resolvuntur: & ideo fides habet majorem certitudinem, quantum ad formalitatem adhaesionis, quam sit certitudo scientiae, vel intellectus, quamvis in scientia, & intellectu, sit major evidentia eorum, quibus assentitur.*

670. Ob. 4. Actus evidens non potest esse, nec per absolutam Dei potentiam falsus: ergo non est minus certus, quam actus fidei. Confir. Intellectus non potest firmitus adherere e. g. mysterio SS. Trinitatis, quam huic veritati: *Totum est majus sua parte*: imò huic firmitus adheret: ergo. Resp. neg. conf. quia saltem certitudo formalis, & subjectiva est major; haec enim non stat tantum in veritate, sed in ipso motivo, magis cum veritate connexo, itemque in adhaesione intellectus, ut explicatum n. 661. & seq. Ad confir. neg. ant. etsi enim, ceteris paribus, magis adhaereamus clariis propositis: attamen hic cetera non sunt paria; quia dignitas testimonii Divini longissime excedit omnia motiva naturalia: & sic etiam respondet S. Thomas 2. 2. q. 4. art. 8. ad 2. & certe firmitus adhaeremus mysterio SS. Trinitatis, quam principio: *Quaecunque sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se*: quod non minus est evidens, quam illud: *Totum est majus sua parte*. Imò firmitus etiam adhaeremus illi mysterio, quam huic ipsi principio: *Totum est majus sua parte*: credimus enim, totam SS. Trinitatem non esse aliquid majus qualibet persona. Si dicas, Personas non esse partes SS. Trinitatis. Resp. hoc ipsum ex fide tantum, non autem ex ratione naturali haberi: verbo, si vere fideles sumus, etiam parati semper sumus, relinquere quamcunque nobis visam evidentiam naturalem, si DEUS aliud revelet.

671. Dices. Illi objecto firmitus adheret intellectus, cui etiam adheret post actum jam elicatum, ratione specierum ab ipso relictarum, seu ratione effectus, quam, cui tantum adheret durante actu: atqui priori ratione adheret intellectus objecto, per evidentiam naturalem cognito: posteriori vero ratione adheret objecto, per actum fidei cognito: ergo. Resp. neg. ma. sed intellectus firmitus adheret illi objecto, circa quod elicit talem actum, quo prae omnibus aliis adheret, ita, ut, si possibile esset, quod unum objectum opponeretur alteri, citius hoc deferret, quam illud: atqui intellectus citius deferret objectum cujusvis scientiae, quam fidei, ut dictum n. 663. Quod autem intel-

intellectus objecto evidenti adhæreat adhuc etiam postea, ratione effectus, non habetur à certitudine apprehensiva, seu adhæsiva, sed ab evidentiâ, seu claritate, ut dictum n. 505.

672. Ob 5. Scientia Beatorum, seu visio beatifica, est certior fide: atqui non est certior ratione motivi; utraque enim habet pro motivo veracitatem Divinam: ergo ratione modi tendendi in DEUM: ergo, cum etiam scientia habeat meliorem modum tendendi, scilicet clariorem, quàm actus fidei, ista etiam erit certior. Resp. 1. neg. min. nam, ut diximus n. 465. visio beatifica attingit DEUM absque adminiculo revelationis creatæ; unde habet motivum purius; quia purè Divinum. Resp. 2. neg. ultimam. conf. Beatus enim videt veracitatem Divinam per visionem beatificam, dum viator eam tantum per fidem audit: ceteris autem paribus, securior est aliquo modo visio, quàm auditio; unde visio beatifica, eum habeat totum id, quod habet fides, & adhuc aliquid amplius, meritò dicitur certior fide. At in scientia humana, & fide Divina, cetera non sunt paria: sed motiva scientiæ sunt nimium quantum inferiora: qui defectus non potest compensari per claritatem; nec enim excessus infinitus veracitatis Divinæ, super omnem creatam veritatem, adæquari potest per claritatem tantum creatam.

673. Ob. 6. Potest idem actus esse simul actus fidei, & scientiæ, hoc est, niti motivo fidei, seu revelatione, & motivo scientiæ, seu ratione naturali evidente: talis actus fidei non esset certior scientiæ; quia non esset certior seipso: ergo nullus actus fidei est certior scientiæ; quia actus fidei omnes sunt ejusdem speciei. Resp. 1. neg. ma. vel potius ejus suppositum, quod talis actus esset actus fidei; nam, licet omittatur esse possibilis actus, nixus tali duplici motivo, tamen is non foret actus fidei, sed actus conclusionis Theologicæ, vel alterius speciei: de quo nolim disputare.

Equidem diximus jam supra n. 470. scientiam, & fidem, tanquam duos actus, stare simul posse in eodem intellectu: at ex hoc non sequitur, quod etiam idem actus, qui indivisibiliter niteretur motivo utroque, scilicet revelatione Divina, & evidentiâ naturali, esset actus fidei; hoc enim negari potest ex hoc ipso, quod, ut objectio supponit, non possit unus actus fidei esse speciei diversus ab altero: hic tamen actus, per intrinsecum essentialem respectum ad motivum evidens, differret ab aliis actibus fidei. 2. quia non potest actus esse magis indefectibilis, quàm sit ejus motivum intrinsecum; consequenter deficiente motivo scientiæ deficeret omnis actus, qui eo essentialiter nititur, adeoque etiam talis actus, nixus utroque motivo. Quare talis actus non videtur posse esse actus fidei strictè dictus; quia hic debet esse omnino firmissimus, & consequenter longè magis firmus & minus

defectibilis, quàm quodlibet motivum tantum creatum.

674. Dices. Omnis actus fidei nititur revelatione externa creata, adeoque motivo aliquo defectibili: ergo. Resp. Actus fidei non nititur illa revelatione, tantum nudè sumpta, seu ut accepta tantum pro externa creata locutione: sed nititur illa ut informatà auctoritate Divina; neque etiam illa locutio, nudè in se spectata, habet rationem auctoritatis, quæ primariò, & potissimum movet: sed tantum habet rationem dicti, quod non movet, nisi ut informatum auctoritate. At verò motivum scientiæ respectu actus, in objectionem adducti, deberet habere rationem motivi, non moventis, quia est informatum ab alio, sed moventis ex propria sua virtute, & æstimabilitate. Dein locutio ista externa, supposito, quod sit informatà auctoritate Divina, tam parum potest deficere à veritate, quàm parum ipsa auctoritas; unde est disparitas maxima.

Resp. 2. ad objectionem n. 673. factam om. ma. neg. mi. quidquid sit, sive talis actus sit actus fidei, sive non, parum refert: si etiam omittatur, talem actum esse actum fidei, tamen actus fidei semper erit certior solà scientiâ; nam hic ipse actus erit certior quovis alio actu, qui tantum niteretur motivo scientifico: seu tantum esset actus scientiæ. Hinc talis actus foret certior seipso, non quidem se ipso realiter accepto, sed tamen seipso formaliter accepto: sicut Logici, agendo de universali in actuali prædicatione, dicere solent, actum esse clariorem se ipso formaliter accepto. Realiter autem certior esset talis actus, nixus motivo fidei simul, & scientiæ, quovis alio actu, qui solum niteretur motivo scientifico.

675. Noto sub finem ex Gormaz de virt. Theol. n. 845. certitudinem fidei posse quasi accidentaliter, seu intensivè, esse majorem in uno, quàm in altero actu fidei; quia e. g. is, qui majori gratia pollet, si operetur, quantum potest, eliciet actum intensiorem, ac proinde accidentaliter firmiorem, & certiores, quàm eliciat alius minori gratia pollens. Pariter, si quis instructus sit habitu piæ affectionis magis intenso, & etiam operetur, devotione, confidentiâ, & promptitudine, quanta potest, eliciet actum fidei accidentaliter perfectiorem. Et de hæc accidentali firmitate, vel certitudine loquitur S. Thomas. 2. 2. q. 5. art. 4. in corp. dicens: *Potest ergo fides in aliquo dici major, uno modo ex parte intellectus, propter certitudinem, & firmitatem: alio modo ex parte voluntatis, propter majorem promptitudinem, seu devotionem, vel confidentiam: & in eundem sensum loquitur inferius ad 3.*



QUÆ